



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. I. Proponuntur quædam circa gratiam Angelorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

DISPUTATIO LXXVI.

De gratiâ & gloriâ Angelorum.

SECTIO PRIM A.

Proponuntur quedam circa gratiam Angelorum.

I. Angeli omnes sunt creati in gratia.



UÆRES utrùm Angeli creati sint in gratiâ? Respondetur affirmativè cum S. Thoma hic, quæst. 62. art. 3. Arrubal, Molina, Vasquez, Suarez lib. 5. cap. 3. & 4. & Recentioribus fermè omnibus. Omisâ, pro præ-

Si Angelorū via duobus tantum instantibus confiteris, videtur manifestum.

II. Obiicitur Angelosuisse creatos in gratia.

Hoc inquam omisio: Probatur assertio ex Patribus, præcipuè testimonio S. Augustini lib. 12. de Civitate Dei, cap. 9. quod assert. S. Thomas art. 3. citato, Corpore, Bonam voluntatem, inquit, quis fecit in Angelis, nisi ille qui eos in bonâ voluntate cum amore casto creavit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam: unde sine bonâ voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est. Hac ille: ubi loquitur de gratiâ, quæ simpliciter facit bonum, & Deo adhaerentem, & consequenter de sanctificante: deinde de malis subjicit: Isti autem, qui, cum boni creati essent, mali sunt, &c. Deinde in Epistola Judæ dicuntur Angeli non servasse suum principatum, quod de puris naturalibus intelligi nequit; hæc enim servarunt: videatur Vasquez in hunc articulum tertium, & Suarez lib. 5. cap. 4. ubi alios multos ex sanctis Patribus afferunt, tum Latinis, ut sanctum Gregorium, Isidororum, Anselmum, Prosperum, & alios; tum Græcis, ut sanctum Basilium, Damascenum, & alios.

III. Exemplo primi hominis ostenditur Angelos fuisse creatos in gratiâ.

Deinde, hoc idem ulterius ostenditur: primus quippe homo creatus fuit in gratiâ, juxta illud Ecclesiastæ 7. versu 30. ubi dicitur Deus fecisse hominem rectum: quam rectitudinem Concilium Tridentinum Sessione 5. de peccato originali explicat de justitiâ, charitate, & sanctitate; quam etiam sancti Patres aiunt fuisse præcipuam imaginem & similitudinem Dei, ad quam hominem creavit. Ad hanc etiam similitudinem S. Gregorius in illa verba Ezechielis 28. versu 12. Tu signaculum similitudinis creatum ait fuisse Angelum: unde S. Augustinus de correptione & gratiâ, cap. 11. eodem modo quoad hoc philosophandum ait de homine & Angelo: & fanè per se videtur congruum, ut si homo gratiam primo creationis instanti receperit, eandem etiam tunc habuerit Angelus.

Gratia, seu sanctitas fuit similitudo illa, ad quâ primò creatus est homo.

IV. Angelos primò in purâ naturâ fuisse

Non rectè itaque Scotus in 2.d.5. quæst. 1. & alii nonnulli asserunt Angelos primo creationis instanti productos fuisse in purâ naturâ, postea tamen

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. 2.

omnes gratiam accepisse. Multò minùs amplectendum est quod affirmat S. Bonaventura, Rupertus, & alii, malos scilicet Angelos gratiam nunquam habuisse: primò enim illud Isaia 14. v. 12. Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, &c. verba inquam ista casum important, non à caelo tantum corporeo, sed ab eminente aliquâ dignitate & excellentiâ. Idem indicant verba illa Ezechielis 28. v. 12. Tu signaculum similitudinis, &c. & In medio lapidum ignitorum, id est Angelorum charitate flagrantium: Item Joannis 8. v. 44. de diabolo dicit Christus, Ille in veritate non stetit: per veritatem autem hoc loco intelligunt Patres, præsertim Græci, innocentiam, & vitæ sanctitatem.

se creatos, non rectè docent nonnulli.

Testatur scriptura Angelos malos aliquando habuisse gratiam.

Quando ergo Joannes Papa cap. visis litteris de diabolo, hæc verba scribit, Dolet charitatem, quam in caelo nequivit habere, homines constantes ex luceâ materiâ tenere; intelligi potest de perseverantiâ in charitate, vel de charitate consummatâ, quo cum modo explicat Glossa ibidem. Eadem ratione exponit Glossa S. Gregorium cap. principalium, seu ultimo de pœnitentiâ, distinctione 2. nempe de charitate plenâ & consummatâ: ipse enim alibi sæpè, ut vidimus, apertè docet nostram sententiam.

V.

Diabolus quamvis habuerit charitatem, non tamen eam habuit consummatam.

Vitandum tamen alterum extremum, in quod incidit Ludovicus Vives, qui in lib. 11. S. Augustini de Civitate Dei, cap. 9. vult ob auctoritatem sancti Augustini Angelos, non in gratiâ tantum creatos fuisse, sed etiam in gloriâ. Verùm, ut bene ostendit Vasquez hic, Disp. 226. & Suarez libro 5. cap. 2. nunquam docuit S. Augustinus Angelos primo creationis instanti fuisse in gloriâ productos; imò subinde expressè docet contrarium, ut libro de corrept. & gratiâ, qui liber est posterior cæteris, ideòque dicta aliis locis per illum, sunt explicanda. In hoc ergo libro cap. 10. & 11. disertè affirmat, sanctos Angelos, non alio modo, quam tanquam præmium & mercedem operum à libero eorum arbitrio factorum, beatitudinem accepisse.

VI.

Non est asserendum Angelos fuisse creatos in gloriâ.

Angeli gloriam non acceperunt, nisi tâquam præmium.

Quando proinde S. Augustinus ait eos fuisse à principio beatos, intelligit à principio rerum, seu mundi, quia brevis fuit eorum viâ, non de unico, eòque primo instanti: unde eadem ratione dicitur diabolus ab initio peccare, & tamen ut ait S. Thomas 1. p. q. 63. art. 5. corpore, esset erroneum asserere demonem primo creationis suæ instanti peccatum admisisse. Quo etiam modo capiendus est cum ait eos initio suæ creationis habuisse cognitionem matutinam, imò priùs ait habuisse vespertinam, seu rerum in se ipsis; interdum etiam loquitur de beatitudine imperfectâ, & inchoatâ, nempe gratiæ seu viæ.

VII.

Quo sensu ait S. Augustinus Angelos à principio fuisse beatos.